Atq; pedes latus ternos: & quisq; bis octo
Ac centum grauido tergore pondo gerit.
Ipſum opus eſt ingens duplici ſpectabile turri,
Nil tangit, uacuum eſt ipſius omne latus.
Viſitur in medio turris minor affabre facta,
Et minus, hoc ingens ante, coruſcat opus.
Omnis materies, opus ex qua conſtitit omne,
Delectu præſtans eſt precioq; ſuo.
Non uoluit rebus charis ſumptuue Senatus
Parcere: cuncta ſatis ſed precioſa dedit.
Cuncta manu artificis cælata toreumata uiuunt,
Dædalon aſpiciens ipſe fuiſſe putes.
Auro ſi uideas & lemmata picta colore,
Artificem Coum fortè fuiſſe putes.
Cum digitis opus hoc omni cum claue mouetur,
Implentur ſonitu diſſita multa loca.
Motaq; lætitiam capiunt præcordia dulcem,
Nec magis aut potus aut meminêre cibi.
Omnes & rerum capiunt obliuia ſenſus,
Raptaq; mens celſo ſe putat eſſe polo.
Salue multarum dulcis concordia uocum,
Salue cœlicolûm dulcis imago chori.
Tu deſyderium mortalibus indue cœli,
Sunt harmoniacis cuncta ubi plena ſonis.
Interea celſam monet hora ſubire cathedram,
Lætaq; prognati nuncia ferre Deo.
Tunc aberat peregrè Lodoicus nomine Rabus, — Ludouicus Rabus Sacræ Theologiæ Doctor.
Cûi grandem titulum pagina ſacra dedit.
Qui res ipſe ſacras moderatur Epiſcopus urbis,
Hoc ſolet & Paſtor ſacra docere die.

Illius

Ende
Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2015. Signatur: 7786;